

cœlorum : quia suo tempore separabuntur, si se in melius non commutaverint. Homines ego bonos imitare, malos tolera, omnes ama : quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est. Nec eorum ames injustitiam; sed ipsos ideo ama, ut apprehendant justitiam : quia non solum dilectio Dei nobis præcepta est, sed etiam dilectio proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ¹. Quam non implet nisi qui donum acceperit Spiritum sanctum, Patri et Filio utique æqualem; quia ipsa Trinitas Deus est : in quo Deo spes omnis ponenda est. In homine non est ponenda, qualiscumque ille fuerit. Aliud est enim ille à quo justificamur, aliud illi cum quibus justificamur. Non autem solum per cupiditates diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et dolorum et ipsius mortis. Quidquid autem homo passus fuerit pro nomine Christi, et pro spe vitæ æternæ, et permanens toleraverit, major ei merces dabitur : quod si cesserit diabolo, cum illo damnabitur. Sed opera misericordiæ, cum pia humilitate impetrant a Domino, ut non permittat servos suos tentari plus quam possunt sustinere².

¹ Matth. xxii, 37 et 39. — ² I Cor, x, 23.

FINIS TOMI CENTESIMI TRIGESIMI-SECUNDI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 16.

Significat se Catechumenorum sacramento jam a primis annis initiatum : id quod rursum hoc in opere clarius prodit lib. vi, cap. 11 : *Figam, inquit, pedes in eo gradu, in quo puer a parentibus positus eram, donec inveniatur perspicua veritas.* De sacramento salis per paschales dies Catechumenis concedendo extat Concilii primi Carthaginensis, can. 5; ejusque ritus mentionem facit non semel Augustinus disertissime vero in libro de Catechizandis rudibus, cap. 26, ubi mendum in editiones non leve irrepsit ad hæc verba, *quid in illo condatur, pro, quid in illo condiat.*

ANNOTATIO (2) pag. 110.

Evectio, quod aliis diploma, facultas erat usurpandi cursus publici, quem privato cuilibet usurpare haud licuisset. Unde lex ab Honorio data ferebat : *Ne quis sibi deinceps cursum publicum privatus usurpet, nisi cum aut a nobis evocatur, aut a clementiæ nostræ veneratione discedit.* Narrat Julius Capitolinus, in Pertinace, quod is tunc præfectus cohortis, in Syriam profectus,

T. Aurelio imperatore, a præside Syriæ, quia sine diplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.

ANNOTATIO (3) pag. 115.

Consuetudinem qua de hic agitur, tota licet Africa pridem receptam, quoniam in comessiones et ebrietates deflexerat, rescindere similiter aggreditur Augustinus, et ea de re scribit Epist. xxii ad Aurelium Carthaginensem. Quinetiam Hipponensem Ecclesiam ipse nondum episcopus ab hocce more penitus revocat, sicuti fidem facit Epistola xxix ad Alypium.

ANNOTATIO (4) pag. 122.

Fortean Valentiniano minori, quia ejus *comitatus apud Mediolanum*, ex Possidio cap. i, *tum erat constitutus*, cum ibi rhetoricam profitebatur Augustinus; qui præterea lib. iii contra Petiliani Litt. cap. xxv scribit se in eadem urbe *Bautoni consuli, Kalendis Januarii laudem pro sua tunc rhetorica professione recitasse.*

ANNOTATIO (5) pag. 155.

Juvat huncce locum ex alio illustrare. Nempe Enarrat. in Psal. xlvi, n. 6, sic disserit Augustinus: *Lenticulam autem invenimus cibum esse Ægyptiorum, nam ibi abundat in Ægypto; unde magnificatur lenticula Alexandrina, et venit usque ad terras nostras, quasi*

hic non nascatur lenticula. Ergo Esaii desiderando cibum Ægyptium, perdidit primatum. Sic et populus Judæorum de quo dictum est: Conversi sunt corde in Ægyptum, lenticulam quodam modo desideraverunt, et primatum perdiderunt.

ANNOTATIO (6) pag. 201.

Quid sinu Abrahæ significari crediderit Augustinus, aperuit ipse in lib. iv de Anima et ejus origine, cap. xvi, n. 24: *Sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham; et ideo Abrahæ dictum, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum propositus.*